



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades**

**Luther, Martin**

**Basileae**

**VD16 L 5540**

In sole posuit tabernaculum suum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37005**

non uide ut cōmendet fidem, non em̄ uident quæ narrant, sed audiunt cōmendatur  
 uoces, audius solus requirit in Ecclesia dei, Hierony. sic uertit: Non sunt fides.  
 uoces, non sunt uerba quibus non audiatur uox eorum, ubi uerba, רבנים  
 dicitur dicuntur, quod aliquoties res seu historias significat, seu famam, quo  
 modo hic nō credo accipi. Nec solum fides, sed efficacia & fructus uerbi simul  
 commendat, q̄ non in uentū dicuntur, Sed audiuntur uoces eorum, id  
 est admittunt & suscipiuntur quod fit per fidem. Omitto hic questionem quā  
 aliqui mouent: Sit ne hic uersus impletus, cum nondum omnes gentes Euan-  
 gelium audierint, facile hic quiuis respondere poterit.

In omnem terram exiuit sonus eorum,

Et in fines orbis terræ uerba eorum.

Locum (ut dixi) hic designat ubi sonent isti cœli, ne quis queratur aut se  
 exulet, q̄ non possit transfretare, aut in cœlum ascendere ad audiendum, pro  
 pe est uerbum in ore tuo, & in corde tuo ait Moses Deutro. xxx. Ad hoc enim  
 uarijs linguis donati fuerunt, ut in omnem terram sonus eorum exiret. Et ui-  
 de q̄ uigilanter apert spiritus uerba sua, ne Apostoli putarent esse uerbi auto-  
 res, facit eos ministros & instrumēta, sicut dicit Christus. Non enim uos estis  
 qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Et iterū. Ille me  
 claudicabit & testimonium perhibebit de me, & uos testimonium perhibebi-  
 tis. Ideo dixit, uoces eorum audiunt, sed alius est qui loquitur. Exit sonus eo-  
 rum, sed alius est qui efflat & emittit, usus uoce & uerbis eorum, pro instru-  
 mentis suis.

Augustinus hunc locum torquet in donatistas, qui Ecclesiam in Africa an-  
 gulus artabat, sed multo magis torqueri debet in nostros nouos donatistas, qui  
 negant in India & Perside & Asia esse fideles. Vbi enim sonus & uerba spiritus  
 sunt, ubi Ecclesia sine dubio uera est Christi. Nō enim loquitur spūs Christi, nisi  
 in Ecclesia sua, quare cū hic sit apertus textus sonū Apostolorū exiuisse in om-  
 nem terrā, nec dū legatur reuocatus, timendū est nobis, ne cum impijs donati-  
 stis siue illis siue istis, nos solos iam temus pro fidelibus, qui forte nihil minus  
 sumus q̄ fideles, cum uerbū & sonū Apostolorū nusquam audiamus.

Et q̄ hebreus habeat. In omnē terrā exiuit regula eorū, tamen Apostolus  
 Ro. x. sonū dicit, & in idē recidit. Sonus enim euangelicus, regula illa est iuxta  
 quā edificat Ecclesia, nō enim edificatur armis corporalibus fabricorū, sed uer-  
 bo uite. Simul tamen eo uerbo certa mēsurā significatur, qua cuiusq̄ Apосто-  
 li ministerium dispartitum est in orbem terrarū: Non enim omnes eodē loco  
 predicauerunt, sed diuisi sunt in totū mundum, nō ut diuitias eius sibi aggre-  
 gent, sed unusquisq̄ portionem suam ad Christum reducat.

In sole posuit tabernaculum suum.

Hæc in hebreo pars est posterior præcedentis uersus, hoc modo habens. So-  
 li posuit tabernaculum in eis, solem alij proprie accipiunt, pro isto sole uisibi-  
 li, in quo Ecclesia seu humanitas Christi, tabernaculum dei, manifestatum sit,  
 Sed melius arbitror prophetam perstare in allegoria cœpta, & solem esse eū,  
 qui in istis cœlis poni & habitare possit, quod & sequens uersus indicat: Et  
 ipse tanq̄ sponsus procedens. Et satis uiolēter interpretes hebraicum, בָּאֵם,  
 q̄ sonat in eis (id est, cœlis prædictis) mutarūt in, suum, immo fere omiserūt,  
 Quāq̄ reuera allegoria ista sumpta sit ex cœlis & sole uisibilibus istis in qui-  
 bus sol



bus sol habitat & currit ab oriente in occidentem iucundissimo cursu. Igitur in  
sus est, Christum qui est sol iustitiæ (ut Malach. iij. dicitur oritur uobis timen-  
tibus nomen meum, sol iustitiæ, & salus sub pennis eius) posuit in Apostolis.

Ipse enim illuminat eos, loquitur, operatur, & est omnia in eis.  
Videmus enim & in his cœlis solem esse gloriam ac uniuersam eorum sub-  
stantiam, cummerso sole ac tenebris presentibus, chaos quoddam potius tri-  
stante appareat q̄ cœlum. Ita Apostoli aut eorum successores, si sine inhabitante  
Christo forent, uere chaos & non cœli essent. Vnde hic uersus caulam reddit  
prædictorū, Q̄ omnia quæ de cœlis gloriosa dicta sunt, & quæcunq; possunt,  
non sua uirtute, sed inhabitantis Christi possunt. Tabernaculum uero istud,  
fides Christi est, per quā in nobis habitat, sicut Ephesios. iij. Christum habita-  
re per fidem in cordibus uestris. De quo Isaias. iij. Super omnē gloriam prote-  
ctio & tabernaculum erit in umbraculo diei ab æstu in securitate & abscon-  
sione a turbine & pluuia, id est, fides, p̄tegit utrinq; a p̄peris & aduersis.

Chaos & nō  
Cœlum.

Et ipse tanq̄ sponsus procedens de thalamo suo, exultauit ut gigas  
ad currendam uiam.

A summo cœlo egressio eius, & occurfus eius usq; ad summū eius.

Nec est, qui se abscondat a calore eius.

Id est Euangelium parauit, siue id, de quo in Euangelio enarrant Apo-  
stoli, Describit em̄ his duobus uersibus solem, cui in Apostolis, tabernaculū po-  
situm dixerat, de quo totum sonat Euangelium, & ipse est gloria dei, in quo  
& omnia reposuit. Omnium fere sententia est, hos duos uersus, de incarnati-  
one, conuersatione, assumptione Christi loqui, quam priore loco sequamur.  
Thalamus Christi, quod hebraice, occultum, uel latīq; significat, omnes intel-  
ligunt uirginem Mariam, e cuius utero prodijt sicut sol ex aurora, immo ex  
noctis occulto, Pulchra certe sententia, qua ineffabilis illa natiuitas signatur,  
in qua sola uirtus altissimi obumbravit uirginem, & in abscondito operata est  
hunc fœtum salutis, quod natura nesciuit, nec attingere potuit, sicut enim sol  
oriens prodit omnibus uisibilis, & tamen nemo noscere possit unde ueniat.  
Ita Christus natus ad omnium conspectum uenit, & tamē natiuitatem suam  
(ut Isaias prædixit) habuit inenarrabilem, cū nasci ex uirgine sine uiro, uisum  
& captum superet naturæ.

Sponsus Ec-  
clesiæ.

Sponsum autē uocat, q̄ indutus humanitate, sit em̄ Ecclesiæ copulatus, in unā  
carnē, quod sacramentū magnū & iucundum est, in quo conuenerunt in unū  
diues & pauper, iustus & peccator, beatus & damnatus, filius gratiæ & filius  
miseriæ. Neq; enim p̄t ullo alio uerbo, magnificētius illa misericordia comen-  
dari, q̄ q̄ sponsus Ecclesiæ uocat, in quo, oīa sua nobis, donata, omnia nostra  
ablata, p̄phetant. Sed quo modo procedit sp̄sus de thalamo suo? Et cur hūc  
solem Christū ea cōparatione prædicat? forte, q̄ sp̄sus ornatus, & coronatus  
p̄cedit, gestiens amore sp̄sæ suæ. Ita Christus amore Ecclesiæ, p̄cessit de uen-  
tre uirginis, ornatus & coronatus in spiritu, cum secundū carnem, uenerit in  
summa paupertate & cōtemptu, plenus enim ornāmētis & coronis gratiæ dei  
uenit, gestiens in amorem Ecclesiæ suæ. Ideo exultauit ut fortis ad currendam  
uiam, hoc est, magna charitatis & spiritus fortitudine, creuit, operatus est, p̄-  
gnauit in agone, cum diabolo & peccatis nostris, passus & mortuus est.

A summo